

quentes *simplicium* species vel *clare*, nondum *distincte*, aliæ etiam *distincte* mundum *representant*; imo quarta species, quæ *Diuini intellectus*, omnia *possibilia* *simultaneæ* & *distincte* *representare* dicitur. Et singula hæc *simplicia* gradibus *facultatis* *representatiuæ* *inter se* dicuntur *differre*. *Differentiæ* vero *specificæ* *desumptæ* sunt a modo *representandi* *vninersum*: ergo proculdubio per *ideas*, siue *confusas*, siue *claras*, siue *distinctas*, siue *simultaneas*. Quæ est manifestissima *confusio* *mentis* & *corporis*, saltem *simplicium* & *principiorum*, ex quibus omnia corpora composita sunt. Et hæc forte causa est, quod auctor de imperceptibilibus illis *monadibus* & *simplicibus* statuat, quod *mundum* diuersis adeo modis *representent*; ne nimis aperte *materiæ*, *extensioni*, aut *corporibus*, eam vim *representandi* adscribat. Hinc & dicit, illa *simplicia* esse quasi *spiritus*. Sed rectius Disp. pag. 12. scribit Cl. Engelhard: *Suntne ergo spiritus? Apage vero istas nugas! nihil enim ipsis competit, quod in spiritibus deprehendimus, non intellectus, non voluntas, neque enim entia cogitantia cum extensione quicquam commune habent, ut infinite myriades punctulum implere possint. Quomodo ergo ea simplicia mundum diuersis modis representauerint, de eo cogitare non videtur Cl. Engelhard.*

XXI. Si vero ita paulo subtilius ostenderim *mentis* & *corporis* *confusionem*, clarissime & palpabiliter ea demonstratur ex eo, quod *animæ* *hominum* & *brutorum* in hoc *statu* *simplicium* & *principiorum*, ex quibus omnia corpora statuuntur esse composita, dicuntur *præexistisse*, atque ita deinde in corpore *transformatæ* fuisse. Quod non minus *naturæ* *animarum* nostrarum aduerlatur, ac fingere, eas esse ex *traduce* & ex *semine* parentum propagari.

XXII. 3. Heic animaduerto pessimam Dei Creatoris *confusionem* cum *creaturis*, saltem non saluari *veram* *distinctionem* Dei a suis operibus. *Primæ* *speciei* *simplicia* *obscure* *sine* *vlla* *distinctione* mundum *representare* dicuntur; *secundæ* *speciei* *clare*, sed *indistincte*; *tertiæ* etiam *distincte*; *quartus* vero *representandi* *modus* est *intellectus* *diuini*, qui est *representatio* *simultanea* & *distincta* *omnium* *possibilium*. Sed singula hæc *simplicia* tantum gradibus *facultatis* *representatiuæ* *differunt*. Et *differentiæ* *specificæ* sunt *desumptæ* a modo *representandi* *vninersum*. An ergo *intellectus*, *diuinus*